

pulo constitueretur, servata vero Angliae tutela ყrbium Hierosolymae, Bethleem et Nazareth et libera via inde ad mare. Huic tamen divisioni Arabes adversantur; Hebreorum autem cupiditates id non satis explet; et inde igitur procella impedit.

POPLICOLA.

VARIA

Canis et Sus.

Ad aucupia canes diligent et exquisita cura atque ratione erudiri et institui solent, et ad silentia verborum minis et aurium vellicatione assuefiunt. Certae autem nationis hi diliguntur, quorum imprimis bona sagaxque natura sit. Huius generis unius istam servilitatem exprobasse pinguem suem aiunt. Cui ille, se non poenitere brevis molestiae responderit, qua vitam sibi comparaturus sit delicatam, neque pigere in praesentia radii aliquantulum devorare, ut lautissimis diu postea cibis perfruatur.

Fabula hortatur discipulos bonarum artium et virtutis ad labores, qui in discendo exhauriendi sint, preferendos, spe maximorum commodorum et iucundissimae vitae.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

*Oryza pisis ovisque condita.
Artogani ex solanis tuberosis.
Faseoli Italorum more in patina decocti.
Haedus ad furnum actus cum recentibus
olusculis aceto madidis.
Bromelia ananas mulso confecta.*

Iocosa.

Amicus quidam Tuccii patri:
— Incredibile est quot convicia et maledicta tuus filius proferat: undenam illa discere potuit?
— Heu, domicilium nostrum prope locum est tributis exigendis!

TUCCIU patri:

— Utinam flumen esse possem!
— Quid quod? insulse.
— Mihi enim primo mane surgendum est; flumen nunquam e suo lecto exit!

Aenigmata.

I

Atticus orator laudabar, Mi caput aufer!
Agnovit sophiam divus Apollo meam.

II

Sum donum Cereris, quod nunquam spernitur
[ulli.
Principium muta: sum fera fida tibi.

III

Visceribus terrae mea profluit unda susurrans:
Principium mutas? Tollor ad astra poli.
Mutatur rursus mihi princeps litera? Ripas
sublimi iungo fornice flumineas.

F. PALATA.

Aenigmata in fasciculo superioris mensis iunii proposita his respondent: 1) *Flamen*; 2) *Catulus-Catullus*; mensis autem iulii: 1) *Nepos*; 2) *Rēmus*, *Rēmus*.

IMPRIMATUR: Fr. GABRIEL MONTI, O. E. S. A.,
Secret. Vic. Civ. Vat.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumidantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXXVII Fasc. VIII-IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequa*ns*; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

SATANAS

*Victorii Genovesi S. I. carmen in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXXVI magna laude ornatum.**

Vera ne proloquimur totum cum dicimus or-
[bem
semper obire hostem, cunctorum iuge malorum
principium, humanam quaerit qui perdere gen-
[tem,
qui populos scindit scelerataque ad arma vi-
[cissim
concitat aerumnis et inexorabilis urget;
qui genius malesuadus avet clam avertere no-
[strum
tramite quemque bono crimenque instigat ad
[omne?
an vero ignaros nos ludit inanis imago
mentis et exterioris nostrae figmenta locamus,
ludicra vaniloqui sectati somnia vulgi,
et Satanus audit tantum vesana voluntas?
Haec utique effutit Fidei qui dicta supernae
despicit, unius cultor rationis ineptus,
lucifugumque ducem, Stygio qui praesidet Orco,
daemonas infensos homini, circumvaga late
agmina spirituum, ¹ fabellas prorsus aniles

iudicat imprudens, quas expers luminis aetas
atque supersticio iamdudum invexit in orbem.
Mens renovata procul nocuas has distulit um-
[bras,
a quibus ingemuit tot (proh pudor!) obruta sae-
[cla
gens humana, suae lacrimis passimque cruore
historiae foedans fastos saevisque piaclis.
Ah, pereat tandem peperit quem inscitia terror,
qui vitam angustat funusque preoccupat atrum!
Ista quidem mordax scolorum turba frequen-
[ter
quemlibet osa Dei iactat dicteria cultum,
sed petulans, quaeso, poterit fortasse cachin-
[nus
sacra quod affirmant oracula refringere verum?

Corporeum miro qui condidit ordine mun-
[dum
perque gradus humili lymphis crepitante lapillo
materiam nitidi formam deducit in auri;
et molli scopulum musco decorante tapeto
robur ad annosum facit usque virescere vitam;
et tenui terram bricho repente per imam
nobilitatis eo postremum animalia dicit,
occupet ut dius coenosos spiritus artus,

* His tantum diebus accepimus auctorem carmi-
nis in eodem pariter certamine magna laude ornati,
cui titulus: *Prope Sacellum Ioannis Pascoli, alium
esse socium nostrum clarissimum, VINCENTIUM PO-
LYDORI, cui igitur ex animo gratulamur.* — A. R.

¹ PAUL., Ephes., VI, 12.

Ille etiam superas fixit sine corpore mentes
undique quo rerum series perfecta micaret.²

Lucis ut ante solent ortum ridere sereno
astræ polo,³ nutu sic arcessita creante,
cum primum nihilo moles consurget orbis,
millia spirituum centenaque millia ducta
terque quaterque,⁴ simul caelo miciuere nitens
[ti,
omnia disparili similiisque corusca decore,⁵
ordinibus ternis novies digesta chorisque,⁶
Artificis proprius naturam imitantia Primi.

Prodierant nuper divino lumine amicti,
dulce subinde melos cum caeli personat aulam:
— Laus, honor usque tibi, virtus et gloria soli
sit. Deus omnipotens, qui nos dignaris amanter,
orbis primitias, ad regna beata vocare
participesque tui reddis.⁷ Te iure fatemur
principium rerum primum finemque supre-

[mum.]

Ecce sed increpuit vox inter dissona cantum:
— Ast ego non subdar! Conscendam nubila

[caeli,

ad latus accumbam stridens Aquilonibus Arcti
assimilisque Deo solium super astra levabo.⁸ —

— Quis sicut Deus?⁹ — actutum vox altera

[clamat,

et nova consurgens Michael aciesque sodalis
praelia commiscet caelis.¹⁰ Ut saepe videntur
noctibus aestivis prolabi sidera, sulcis
aethereos late rutilis signantia tractus,¹¹
et gravida sicut crepitant cum nube procellis
fulgura, continuo micat ignibus undique cae-

[lum.,¹²

non aliter Satanas coetusque rebellis ab axe
corruit excelso, nigras detrusus in umbras.¹³

² Cfr. S. THOM. AQUIN., *Summ. theologic.*, P. I.
quaest. 50, art. 1.

³ BARUCH, III, 34-35; IOB., XXXVIII, 7.

⁴ S. THOM., loc. cit., art. 3.

⁵ Ibid., art. 4.

⁶ Cfr. S. GREG. M., *hom. 34 in Evang.*, n. 7, et
DYON. AREOPAG., *de Caelesti hierarchia*, c. VI, § 2.

⁷ S. AUG., *De civ. Dei*, I. XII, c. 9.

⁸ Is., c. XIV, v. 15.

⁹ Cfr. S. GREG., loc. cit.

¹⁰ Apoc., c. XII, v. 7.

¹¹ Ibid., v. 4.

¹² L. c. X, 18.

¹³ IUD., V, 6.

Tunc super angelicus vicit chorus intonat
[illum:

— Quomodo de caelo cecidisti, Lucifer,
[alto!] ¹⁴

Ecce tui tandem confusa superbia cordis;
lux cui tegmen erat tenebris operiris abyssi!

Ille sed ut primum, divino fulmine adactus,
praecipiti superis lapsu regionibus aethrae
constitit, infrendens tumida furialiter ira:

— Proh dolor! — ingemuit — caeli me sedibus
[egit

invidus ille, meos et prorsus contudit ausus!
Non tamen absistam! Caelo regnare beato

si nequo, saltem terrarum sceptra tenebo.
Hic colar, incumbam recto hic abducere men-

[tes,
omnia subvertam, madefiet sanguine tellus,
spernetur pietas, vitio referentur honores
et meus omnino privabitur Aemulus aris.—

Haec ait, et prima crudelis origine mundi
instruit insidias, odio stimulatus atroci

Numinis, acer opus quodvis pessum dare dium,
Vertumnus varius, diversus semper et idem,
nunc terrore minax, falso nunc blandulus ore.

Ipse homicida fuit prima cum sede beata
patribus imposuit, peccati perfidus auctor,
progeniemque simul totam radice peremit!¹⁵

Exin quis referat scelerata piacula cunctas
queis temerat terras, humana ubi pectora tor-

[quet,
permittente Deo poenae et certaminis ergo?
Vel mundus solida totus compage fatiscat,
ni Deus illius compescat providus iram!¹⁶

Tartarei novi fraudes plerumque tyranni
quae dabat oraclis veteranum cortina deorum,
cum misero spreta mandat pietate parenti
virgineo dextram natae scelerare cruento;¹⁷
nomine cum cultus praetexit turpe lupercal
templaque luxuria iubet incestare nefanda.

Saxe nonne Satan olim simulacra tegebant,
quo damnata frequens votorum turba coibat,
verum oblitæ Deum, mundum qui condidit unus?

¹⁴ Is., XIV, 12.

¹⁵ Is., VIII, 44; GEN., c. III; SAP., II, 24.

¹⁶ Cfr. S. THOM., *Summ. Theol.*, p. I, 9-110.

¹⁷ Cfr. LUCRET., *De rerum natura*, I, n. 80-102;
VERG., II, v. 110.

Quin etiam crebro variarum membra ferarum
induit, infandum tribuit queis impia cultum
saepe superstitione. Latrator Anubis honores
Niliacis oris Isisque petulca iuvencia
excipit absurdos; scarabeo ornare monile
hic mulier gaudet; Chaldaeus fana draconis
dedicat obscaeno, cuius contaminat aras
victima saepe (nefas!) insons humana cruento.
« Tantum daemonium potuit suadere malo-

[rum!] ¹⁸

Haec meminisse pudet! Nox atris contegit
[umbris

dedecus heu tantum! Lacrimis et sanguine ro-

[rans

munit iter sibi per salebras miseranda propago
metam versus Adae clara sua origine dignam.

Quisquis es incessis salibus qui talia fantem,
Tartareum infensum, sodes, mortalibus hostem
rebus ab humanis arcet: tum rite resolve,
si potes, ambages totus queis volvitur orbis:
historiae caecos mundanae edissere casus;
dic, age, cur sceleris purus vagitus infans
flebilibus primum luci recludat ocellos,
cur sibi lamentis exposcat congrua semper?
unde dolor? lacrimis toties cur ora rigemus
vitaque procedat cura comitata sequaci?
Pande mihi causas nostro cur pectore iugi
virtus et vittum confligunt usque duello
et proba quae ratio refugit cur saepe patre-

mus? ¹⁹

Funeris arcum mihi prode; novissima iustum
quaeque reum maneant post bustum fata do-

ceto.

Fare quid aetherea delapsus sede Redemptor
venerit in terras humanam querere prolem?
arbore cur clavis affixus pendeat alta
exhibeatque fera terebratum cuspidem pectus?

Fluctuet, ut crebris iactatus naufragus undis,
spiritus incertus rerum quas scire reposcit,
relligioque ruat penitus, quam saecula veram
omnia conlament, mundo si daemonia tollas.

At Satanam vero cum causor iniqua patran-

[tem,

omnia num mundi probrosa refundere in ipsum

¹⁸ LUCR., loc. cit.

¹⁹ Rom., VII, 18-19; OVID., *Metam.*, VII, vv. 17-20.

crimina contendit? mores tenuare scelestos
num cupio imprudens hominum culpaque va-

[care

quaelibet acta reor nostro manantia corde?
Unica num Satanas moerorum causa? Profecto
virus inest nobis imas natale medullas
inficiens animi penitus, fataleque donum
arbitra libertas fandi simul atque nefandi.

Prima parens sane scelerum fecunda voluntas
ad vitium vergens, naturaque manca doloris,
principiis constans adversis, perpes origo.

Ast ita nequaquam sua Sphynx aenigmata pan-

[dit

obvia praeter iter, monstrum implacabile, vitae,
discrucians animos; neque inextricabile tandem
solvit arcanum lacrimis quod devovet usque
sontis Adae subolem. Diris obvolvimus umbris
undique; nequidquam rationis nitimur unis
viribus; aeterni mens veri deficit impos.
In peius ruimus, perplexo calle vagamus
atque animi gravius tenebrae densantur opacae,
fabula si Satanas veluti perhibetur inanis.

Quin etiam fines qui numquam praeterit ultra
materiae angustos, tellure moratus in ima,
oreque christicolas, lustrali pellere lympha
daemonum solitos, pergit garrire dicaci,
dissidet ecce sibi minime securus ab hoste
qui tenebris tegitur, sed quem praesentit ades-

[se,

quemque negat verbo testatur more nocentem.

Hic Fidei spretor graecari assuetus, ad un-

[guem

factus homo, arcano renuat simul esse pave-

[scens

quo tredecim coeunt: numerus sane iste nefas-

[stus!

Haec matrona labrum fucco medicata rubenti,
quam latice ignifero celeris vehit incita rheda
rite cavit sibi, ne praeceps inopina feratur,
pone fenestellam pupa saliente locata.

Hic birotam pedibus, volucrem tumido aere

[gummi,

cursor agens, pronus cuncta in certamina, pru-

[dens

machinulae cornu sternaci tortile figit,

ne rapido occursu per strata bitumina lapset.

Oscinis est illi praesagum funeris omen
lugubre bubonis carmen sub nocte silenti.

Vana puella, Dei iamdudum sacra perosa,
improba mercatum vultu monstrare decorum,
pensilis ornatus inter redimicula, praesens
necit amuletum depellere fascina sagae.

Autumat hic deinceps sibi prospera cuncta
[futura,
gibbere si curvum primo conspexerit ortu,
valde praemetuit contra sibi, si pede claudum.²⁰
(Huccine stultiiae mundi procedit alumnus!).
Me pudet at porro genus id depromere nugas.
Sic est! Religio quos non complectitur alma,
saepe superstitionis magicas allectat ad artes!

Hoc hominum vidi secreto saepe repotae
interiora domus multa de nocte subire.
Circinat hic tripedem digitos innixa rotundam
lecta manus tabulam: media astas saga sequen-

[stra,
abdita cui rerum quis nescio spiritus afflat.
Umbra favet lamiis: extemplo lumina lycnis
conscia deficiunt, una conclave silescit:
iuncta caterva novae circum responsa Sibyllae
corde micante manet; patiens iam numinis illa
luminis exsortes demersos nocte sopora
alloquitur Manes tacitas atque evocat umbras.
Accitam tabulae praesentem nunciat ictus
mox animam, vitae prodentem arcana futurae.
Saepe ferunt lemures se etiam vidisse vagantes
et simulacra levi compactas aethere formas
exhibuisse palam... Porro haec praestigiae an-

[artes
daemonis occulti? Scitu res ardua sane!
Attamen ex fructu si quaeque agnoscitur arbor,
non moror incertus: fiderenter utrumque fatebor!

Dirus adest Satanás, homines qui more leonis
circuit immanis spe praedae semper hiantis.

Ipse docet puerum mendaci fallere primum
ore genitricem castum et temerare pudorem;
ipse decus florum fragilem turpare iuuentam
improbis exstimulat venales inter amores;
hunc habet ad thalamum comitem sceleratus

[adulter

cum veitum properat luna sub luce sinistra.

Impiger usque dolis humanas ludere mentes
suadet heris merita cupidis mercede negata
cogere rorantes operarum sanguine gazas,

²⁰ Hic innuntur quaedam vanae observantiae, quae in usu sunt apud quosdam divinae fidei osores.

ataque operas fabricis cessantes incitat una
omnes iure pares homines ululare ferores.

Nil intentatum scelerum molitor iniquus
linquit uti noceat. Furtivus scandit in aulas
quo coeunt populi proceres et sciscere leges
sollicitat penitus delentes fasque piumque;
lubricus ingreditur conventus atria magni
gentium ubi sidunt primores, foedera pacis
mox ferti: horum leni sed pectora lapsu
perfidus ipse subit, spargit secunda novarum
semina rixarum, furiales implicat ignes
vipereum inspirans animam et fera corda fati-

[gat.²¹

Aures ecce mihi gentis perstringit acutus
lymphatae clamor, quae sese denique iactat
extinxisse polo testantia sidera Numen,
signaque cuiusvis obliterat impia cultus.
(Sed nondum tonitrus potuit sedare fragorem!).

Hinc alio vertens oculos, vastata voraci
templa foco video, pietas quae struxit avita,
vi tacitis abigi claustris ausuque nefando
innocuas Christi sponsas sine more stuprari;
exilio a sacris plecti letove ministros,
relligione probris affecta insurgere plebes
praemia securas caelo promissa beato
quae maneant, cupidas tantum tellure potiri;
denique quam nimium late desidere mores.

Haud dubia agnosco Satanae molimina diri,
qui tabens odio, dominus ne fulminis ictu,
nittitur omnino mundo depellere Numen.

Nulla salus miseris ergo mortalibus hostem
adversus superest Stygium? num prorsus iner-

[mes

qui Pater est hominum sapiens moderator et

[orbis

deseruit natos? cunctas num laxat habenas
spiritui nequam saevo cupidoque nocere,
oggerat ut populis tristes impune ruinas?

Non ita! Ceu rabidus cohident quem vincla

[molossus

horridus elatrat rictu dumtaxat hiulco,
nec nisi dente potest temere admordere volen-

tes.²²

²¹ Cfr. VERG., vv. 347 sqq.

²² S. AUG., Serm. De temp., 37 (MIGNE, P. L. tom. 39, col. 1820). Quamquam sermo a quibusdam tribuitur S. Caesario Arelaten.

haud secus aeterno constrictus Vindice daemon
territat et crebris omnes incuribus urget,
sed nequit invitam violenter flectere mentem,
aut animi sacros ultra penetrare recessus,
ni prior ipsa fores reseret perversa voluntas.²³
Perfurat ut Satanas, sponsor Deus usque fidelis
auxiliator adest, animum pugnantibus addens,
nec nos immodice affligi patietur ab hoste,
ipsa sed apponet iustis certamina lucro.²⁴

— Ecce Crucem Christi, cunctis insigne sa-
[lutis
gentibus! Adversae procul eia facessite partes,
namque Leo vicit Iudea de stirpe propago!²⁵

Aeneus ut serpens per inhospita tesca mi-

[granti

conspicuus populo sanabat vulnra visus
dente venenato diris inflicta colubris,
sic trabe pendentem quicumque tuetur amanter
Iesum, Tartarei devitat tela draconis²⁶
iureque de Christo saeclorum concinit echo:
«Edomuit ligno qui ligno vicerat hostem,
ordine quo miro manaret ab arbore vita,
unde prius funus toti provenerat orbi».²⁷

Christus enim dium conceptum ex Virgine se-

[men,

praesicia quam perhibent oracula ab origine mun-

[di²⁸

candidulum ut florens inter dumeta ligustrum²⁹
lacteoaque caput serpentis calce terentem.
Haec etiam mulier passo divina Ioanni
paruit in caelo iubare ipso solis amicta,
tempora bissenis stellis redimita coruscis,
cui pedibus candens niveis est luna scabellum,
quae sibi pandentis septemplicis ora draconis
effugit insidias structas Prolique beatae.³⁰

Alma Parens, ergo, quae victrix daemonis
[una
immaculata tuo primo celebraris ab ortu,

²³ Cfr. S. THOM., op. cit., p. I, q. 114, art. 2 ad 2 et ad 3.

²⁴ PAUL., I Cor., X, 13.

²⁵ Apoc., V, 5.

²⁶ Num., 21, 9; Io., III, 14-15.

²⁷ Ex Liturg. Rom., Praef. de Cruce.

²⁸ Gen., III, 15; Pius PP. IX «Bulla Ineffabilis»,

²⁹ Cant., II, 2.

³⁰ Apoc., XII, 1.

progeniem infernis humanam viribus actam,
quam tibi ferali, testatus ab arbore Iesus,
credidit emoriens maternis contege curis.³¹
Respice ut effrenis princeps bacchetur Averni
damnaque continuet. Christi pia legibus exul
relligio opprimitur turpisque licentia regnat;
seditiosa vafris plebes decepta tribunis
impia Iudaicae repetit convicia gentis:
«Nolumus hunc! Confige cruci, dimitte Barab-

[bam!».

Arma fremunt populi: crebrescit dira simultas
dividuas inter stirpes; quin tela scelesti
in Patriae vertunt communis viscera cives;
gens Asiana minax discordi turbinis instar
ingruit Europae: vetus omnis corruit ordo...!
Tu pia nutanti propera succurrere saeclo.
Unigenamque tuum pro nobis perge precari,
ut Satanam reprimat terris immane furentem
et tenebras Erebi aeterno deturbet in imas!

³¹ Cfr. Io., 18, 40.

De "Hallesismo" doctrina italica rei oeconomiae regundae

Quae III kal. Aug. nuper edita sunt de
Alberti, Belgarum regis, mente ad com-
munem omnium gentium rei oeconomiae
medelam, meum veluti compulere cala-
mum ut invitanti nulla mora responderem.
Iam enim ab annis plus quam triginta ita-
licum virum «de rei oeconomiae regi-
mine a civili gubernatione distinguendo
ac seiungendo» agitasse coepta novi, rem-
que credidi explevisse undique per adin-
ventam novam rei oeconomiae discipli-
nam, quam Hallesismum dixit. Ne vero
lector, forte callidus nimis, trapezitarum
sodalium me putet praeconem agere, eum
scire ne pigeat quo mihi modo tanta res
innotuerit.

Nam sub vesperam diei nescio cuius,
anno MCMXIV iam ad hiemem inclinato,
ludici undique clamoris puerorum nepo-

tum, pronepotumve per domum obstrepentium nimis taesus, in marmorea camini crepidine vidi libellum ignota manu igni certe relictum. Titulum legi, lineas primas delibavi: perridiculum ecce ac facetum taedii levamen reputans sorte datum, in conclave secessi, quo fabellas gustarem sedens, quietus et bene commodus. Non ultra tam pagellam primam lux quaedam nova, et quasi radians nescio quod punctum visa illucescere, quae, progrediente lectura, sic sensim cresceret, ut prius siti verba deferent quam verbis aida mens.

Sequente die ad *Hallesistarum* sedem — hoc enim erat sodalium nomen de quibus libellus agebat — accurri, alia dono habui opuscula, alios deinde libros; unum prae ceteris hoc titulo insignem *De rei oeconomicae a rei civilis regime seiungendo*. Sensine per titulum nonnihil resonare vicissim de alio divortio multis ante saeculis edicto: « Reddite quae sunt Caesaris Caesaris, etc. »?... Vera si aderat consonantia, veritas non secus alta edebatur.

Librum una vix hebdomada dum in dies magis avidus lego, tunc primum, sensim sine sensu, quae documenta, leges, definitiones, sententias, in aulis Athenaei Romani Iuri docundo a doctoribus Oeconomiae politicae, quae dicebatur, acceperam, veluti incerti corporis membra, quae nulla forma constarent, tunc omnia vidi quasi prodigo coalescere, et suum in locum invicem innecti, et veluti accedere « ossa ad ossa unumquodque ad iuncturam suam »;¹ exque incondita serie et acervo rerum nasci repente doctrinam et vivere scientiam, quae est « Cognitio rei per caussas ». Tunc me putavi non posse veritati negare testimonium: quod dedi igitur tribus dissertiunculis in Romano diario editis, cui titulus: *Il Corriere d'Italia*. At adhuc menini infidae nimis quaestionis callide sci-

scitantis amici pretium quod Hallesistae de tam nova calami opera solvissent.

Recte quidem: libros acceperam plures, ac libellos, quae tantae veritatis thesaurum communicaverant, quam Croesus nullus rependeret. Mansit itaque debitum non unquam mihi solvibile, atque etiam nunc manet.

Atqui, post viginti et amplius annos, dum imperialis, vel melius, iuxta ethymon, « *induperialis* » Italorum genti aurora nova collocut, qui iamdiu per millennium tot populorum regimen tenuimus, deinde per duo millennia alterum addidimus catholicae religionis, de novissima doctrina, communioeconomicae rei regendae — quam Augustinus Maria Trucco ianuensis condidit logotheta — hoc enim nomen auctoris — ab eius discipulo liber editur: « NICOLA MANETTI-CUSA *Hallesismo*,² circumdato hoc fronti titulo: « Hallesismus italica doctrina oeconomicam pacem pariet cuncto orbi terrarum ».

De hoc igitur libro, ut viginti ante annos de invento unde est ortus, puto me scribere oportere vicissim: idque eo libentius, quando regale propositum publicum, unde feci initia scribendi, putandum est disieccisse tandem praeiudicia non pauca sive negligentiae, sive ignaviae, sive, nec raro, fraudis aut doli, quae una commentiri solent esse rem totam pecuniariam sua veluti natura insanabilem, Mercurii clientibus relinquentam.

At, dum velivola atque aeronaves paucis horis circumvolatura sunt orbem terrarum, dum unda radialis Marconiana, « omnibus auditur — quia — sonus est qui vivit in illa »,³ innexae iam tantae unitati sive communitati mentium corporumque, tertium respondeat necesse est in ordine rerum tertio, commune scilicet regimen ad

² Libreria Maglione, Roma, 1937-XV.

³ Ovid., Met., v. 401.

¹ EZECH., xxxvii, 7.

bona undique commutanda unum ac tutum omnibus.

Hoc nisi fiat, communi exitio per immannia bella occurendum est, quasi per aneurisma; hoc est per confractas commutandorum bonorum venas iam tumentes ad mortem.

At, contra, si divina effata ac re promissiones verum spondent de humanitate perficienda in unum,⁴ quando hunc terminum nonnisi *per vias* assequi possumus, et quando viae videlicet, iuxta triplicem commutandarum rerum ordinem, triplices sunt, earumdem explicatio nequit non esse triplex.

Primus igitur animis unificandis est ordo, qui a loqueliis et sermonibus per monumenta et scripta iam ad marconianas undas progressus est; ordo alter ab equis et curribus, quo nos ipsos conferamus in unum, ad naves et mox ad velivola properavit; tertius autem ordo, quo externis bonis fruamur, et veluti hauriamus ea, ad ipsam aethororum, quam dicunt, disiectiōnē iam attingit. Tertius igitur nequit non patefieri ordo viarum, qui tot bonis inter nos ipsos cives quam citissime commutandis inseriat per quam facilis et pervius, rerumque commercia undique lubricet, et conferat in unum.

Haec qui non videat neminem iam esse credimus; ipsosque Gorgiam et Diogenem et superincreduum quemquam de tot veris satis recogitasse autem amus, ac retinuisse tandem tanti motus certam legem dici oportere quam primum, nisi credere illi malint tot divinorum donorum unum iam impendere exitum, communem ruinam.

At divino consilio en scientia, quam diximus, adest, cognitio nempe rei oeconomiae per caussas; cui nomen « *Hallesismum* » tribuit auctor ex *Halles* mercatali Parisiensi, ubi novae doctrinae dilucula vidit.

Atqui, novae scientiae Nicolai Manetti liber

⁴ IOAN., xvii, 21.

mirabilem vim profert nunc totam, eamque adeo aperto et dilucido ordine concinnatam, ut iam videatur nemini oppugnabilis. Liber per dialogos digestus est in capita decem: ipsum inter auctorem qui « protagonistam » ac magistrum agit, et discipulum nomine Candidum. Dialogi septem primi eo contendunt, ut rem propositam de oeconomico regimine instaurando praefiniant, caussas et rationes ostendant, quae hactenus scientiam tantae rei et artem vanas fecere aut ineptas. Ad tria autem colloquia ultima tercia etiam persona, nomine Albertus — non sine miro praesagio regi hodierni consensus! — advocatur, oeconomicae doctrinae doctor.

Magnum igitur ac novum propositae intentioni responsum ea tandem proferunt, eiusque saluberrimos effectus sponte sua necessarios ita enuntiant ut, vix delineati, plenum tamen et inconcussum novae veritatis testimonium constituant.

Pars igitur prima, negativa ea plerumque et critica, ad trutinam revocat atque in aperto collocat humani rerum commercii, quod proprie dicimus, origines ac natum; quam statim iuxta modos illustrat quibus constant omnia: iuxta spatium nempe ac tempus. Mox investigat causas perturbationis exitialis, quae rem totam presumunt, easque maxime quae ex impari omnino cursu vel fluctu exque inaequali congressu rerum ac factorum oriuntur: hinc videlicet bonorum omnium, quae mire undique comparantur et augmentur in dies, inde vero commutationum eorumdem atque usus, quae impedimentis in dies magis multis omneque genus inducuntur. Tunc auctor quaeritat medelam tam gravi morbo parem, per monetariam primum aequationem ad commune et unum mensurae punctum, quo consistat aequa lanx cotidianeae iustitiae.

Quia vero:

a) iuxta modum spatii tria sunt elementa, quibus bonum oeconomicum ponit

tur, hinc nempe operae sive labores hominum, qui id condunt, afferunt; inde vero usus ac fruitio earumdem, intercedente hinc inde rerum commutatione sive commercio;

b) iuxta modum temporis divitiis creandis tria pariter momenta exstant: dominia nempe quae *capitalia* vocantur, partis iam bonis praeterito tempore constituta; operum studiorumve ausus sive coepita ineunda in futurum; intercedente hic quoque eorumdem commutatione, quae per labores sive manuum sive mentium perficitur;

c) iam sequitur unum totius rei oeconomiae centrum semper esse commercium et veluti fulcrum unum, certa quod ratione regatur.

Quare communi seu civili vitae vivende tria semper foedera seu nexus in orbem connivent. Primum est quod, communicato iure connubii ferimus ad civitatem consti-tuendam; alterum quod iure commercii componimus ad alendam et tuendam vitam; tertium quo, foedere nummario, sive monetario, merces et operas certa lege et pre-tio commutamus.

Quia igitur omnis commutationis pacta vel nexus, adulta iam humanitate, nonnisi per mensuram nummariam perficimus, communi consensu cusam, haec quoque mensura triplices modos induit: pecuniarium nempe vel proprie nummarium, quo parta iam bona venduntur emuntur; alterum epistolarem, quo bona quodammodo praesentia, ad certum epistolii creditrici tempus, seu *syngraphae* (*Italice cambiale*; *Gallice lettre de change*) commutantur; nonnale denique ac titularem, quo quidem bona futura significantur, perque nomina fructifera, hoc est usurae cedulis communita, in commercium veniunt.

Iamvero, quia iura ac leges nonnisi futuris dent formam negotiis necesse est, ex dictis sequitur ibi rei oeconomiae vivere maxime vitale commercium ubi serviat futuris bonis commutandis; idque in regi-

mine *syngraphae* fructiferae esse reposi-tum, quae, dum divitiarum omnium futura augmenta secumfert, commutations ea-rumdem perficit sive distributiones, per quas denique universae rei oeconomiae regendae terminus ultimus, nempe usus, ponitur.

Itaque huic attingendo termino *Halle-sismi* nova doctrina succurrit. Cuius igitur signum *H*, ex prima litera nominis *Halles*, nempe mercatalis Parisiensis, non alio evasisse patet, nisi ad aequilibris iustitiae symbolum. Quae igitur primum ad num-marii commercii perturbationes arcendas oportet accedat, deinde ad ipsam omnium nexum vel contractuum summam iustis pretiis adaequandam ubique terrarum; denique ad multiplicandam per liberos et tu-tos tramites et efferendam totius humanae vitae vim et copiam per omnes gentes. Ad nummarium caput igitur nova scientia suc-currit per tria inventa nummaria:

a) per nummum videlicet proprie dictum *Halles* (*H*), cudendum ad mensuram communi consensu constabiliendam; deinde

b) per commutatorias chartulas, sive *syngraphas* seu epistolia crediticia, ad eiusdem nummi mensuram assignanda (*H. A. C.*);

c) per nomina denique fructifera, sive «titulos», usurae cedulis instructa, ea-que consolidata, (*C. H. C.*). Quae au-tem sic condantur, ut collectum illis et ad-scriptum subsit inconcubitile immotumque vadimonium, ex ingenti bonorum capituli acervo. Qui erit igitur selectus per divitiarum titulos omne genus, conscriptos ubique locorum ac regionum, eosque pu-blicos ac privatos, fordinarios, agrarios, ur-banos, officinales, praediales, ac denique vel litterarios ac bonarum artium atque in-ventorum omnium ubicumque terrarum.

Quae tamen singula et omnia, peritorum virorum tuto suffragio aestimata, adeo dis-pertita cura seligantur ubique, ut pretium condendi supremi nominis quod ea omnia

cumulet, ostentet, (*standard*), communi di-scriminum omnium participatione minui-debeat nunquam, augeri semper oporteat, ceu in sodaliciis obtinet, quae, contra in-fortunia quaecumque, conlatis vadimonii conveniunt passim. Collectio huic igitur communi titulo tanta cautione solidato, no-men erit *C. H. C.*, hoc est «*Chartula Hallesistica consolidata*».

Iamque hoc nomen, hisce artibus et cau-tionibus communum, via certissima erit crediticiae vis, seu commodatiae, novis divitiis creandis necessariae, dum quocum-que ea conferatur inter ausus manuum mentiumve atque rerum thesauros e sinu naturae educendos, quocumque novo in-vento vel novo hominum ausu passim. Quo fiet ut bonorum augmenta undique maiora sequantur, exque iis vicissim maior sensim fluctus redeat novae crediticiae pecuniae, quae opera semper altiora foecundet, seu Nili unda semper uberior per agros omnes.

Iamvero totam hanc «*Hallesismi*» do-ctrinam exponit liber per capita ultima tria, per quae igitur regali quoque nunc propositae menti plenum responsum auctor af-fert et absolvit rem.

Sed praeliminari modo repetitur primum novi adinventi historia, ab ipsa die qua, ut innuimus, in Parisensi foro mercatali, quod dicunt *Halles*, unde est datum rei nomen, Augustino Mariae Trucco, tanti problematis seu quaestionis solutio repente innotuit, ad dies usque gravis experimenti et durae eius probationis. Nam, historia duce, talia non videntur unquam defutura novatoribus, immo eo graviora narrantur, quo maius fuit acceptum divinitus illis do-num tradendum posteris.

Tunc autem libri auctori datur aditus quo seipsum tandem ostendat primum certe, omniumque optimum, tantae doctrinae in-terpretem, atque inter Augustini illius di-scipulos facile principem. Delineamenta enim totius ausus, reique agendae totius, et partes et leges per Nicolai Manetti ca-

lamum tam certo ordine patent, ut unus-quisque amator veritatis non iam illi con-sensum neget. Quia vero omnia et quae-cumque veritatis verba, sive implicito nexu sive explicito, in Eius documenta redun-dant qui, ut Ipse Veritas erat, ita Unus eam habuit et Solus docuit totam, non mirum erit Christi fideli cuiquam legenti, veluti sponte sua ad Crucis mensuram et signum librum saepe redire; quamvis hic vel illic nonnulla ad sacras litteras vel ni-mis audacter vel parum apte, vel minus opportune relata videantur; leves nimirum mendae, quibus nemo sine nascitur, dum optimus est ille «qui minimis urgetur».

Quamobrem totius libri eo denique cedit exitus, quo per tres maxime fructus ineun-dae quandoque *Hallesisticae* gestionis in orbem veritas ac bonitas tota innotescat.

Quorum primus, ut res ipsa fert, na-turae praecipue erit pecuniariae, per au-spicatissimam et ubique gentium frustra hactenus exoptatam constitutionem *mensae argentariae crediticiae pro pauperibus cunctis*. Nam Divino Christi Iesu mandato iubemur: «quod superest dare eleemosy-nam»,⁵ Illiusque per documenta bene sci-mus: «pauperes semper esse nobiscum»;⁶ sed Eius sponsioni confidimus qua: «id Sibi factum putabit quod fecerimus uni vel e minimis fratrum».⁷ Atqui in legibus fu-turi sodalicii constitutivis invenimus haec:⁸ «Sodalitatis condendae quaecumque lucra, quae per communes computatores iam certo recipienda sive iam liquido accepta habeantur, inter omnes res publicas di-vienda sunt quotannis pro varia summa red-ituum omnium, quos in finibus cuiusvis reipublicae, sive patrimonialibus bonis, sive crediticiis computationibus, sive aliis quibuscumque modis universa Sodalitas

⁵ LUC., xi, 41

⁶ IOAN., XII, 8.

⁷ MATTH., XXV, 40.

⁸ Cfr. op. cit., pag. 209.

lucrata fuerit». Atque ibidem: «Ex lucris igitur omnibus, quae in singulis rebus publicis eo titulo quotannis accepta fuerint, e scriniis Sodalitatis, peculiare nationibus singulis aerarium constituendum est, quod vocabitur "Thesaurus pauperum"». Tanto ex gigantaeo gazophylacio patet quantum undique sit derivandum flumen caritatis.

Alter autem fructus in proximo rerum civilium ordine patebit, nempe politico. Compes nam erit et frenum, quod communis illa gentium omnium mensa nummaria fumidis martialis equi naribus pone appinget, illudque non facile infringendum. Erit enim⁹ «condenda Sodalitas maximum certe tutorem oeconomiae pacis, ipsaque vi ac sponte sua cuiusvis tollet belli turbas, quae forte ex oeconomica iniquitate timantur... non secus quam nocturna viarum illustratio crimina tollit et discrimina tenebrarum».

At tertius tantae rei fructus idemque summo vadimonio veritati fiet ex ipsa quidem Unitate, quam, pro sua parte, hoc est in re tota oeconomica, contractus nummarius unus idemque factus afferet omnibus, ac per eum deinde ex commerciorum omnium adaequatione communi; hoc est per aequationem iusti pretii dati et accepti inter tota volumina dandi et habendi, ad unum hinc inde iustum certumque numerum sive denominatorem redacta, et inter sese composita ad Unitatem.

En itaque quomodo Victoria, quam ultimum punctum humano generi attingendum novimus ad agnitionem Filii Dei,¹⁰ in oeconomico hoc etiam ordine, eoque et tribus vitae ordinibus certe infimo, praeter opinionem multorum colluscescit: «Communia populorum commercia ad munus illis maxime proprium adducentur iuste regendae oeconomiae rei totius humani generis; nam ubique per organa communis Halle-

sistici sodalicii iustum semper rerum omnium pretium agnoscere licebit»;¹¹ unde nempe erit aequatio dandi et habendi sic ad unum adducta, ut fiat Iustitia non secus quam Veritas, quae, ceu est iustitia rerum intelligendarum, iure definitur «aequatio rei et intellectus».

Quicunque igitur numerus periplus cosmici iste nunc sit, quo noster hic terrae globus per solis orbitam ducitur, itemque qualiscumque sit totius solaris sidereae cohortis iste curriculus per spatia caelorum, certum tamen habemus per Verbum, quod praeterire non potest, Unitatem nos assequi tandem oportere, regnoque inde divino frui, quod Jesus mandavit postulari indesinenter «sicut in cælo et in terra» advenaturum.

Quia vero de dicenda ad hoc lege pacis Vergilius, ineunte Augusti imperio, non sine numine vaticinatus est sortem esse datam Romanis, et quia eam legem nos igitur diximus in civili ordine a Decemvralibus tabulis ad Iustinianea Digesta, ac deinde, in re sacra, per Canones et Concilia, usque ad hodiernum diem, idem esse fatum Urbis atque Italiae non dubitamus in tertio quoque vitae communis ordine, qui duobus primis subest, nempe oeconomico. Haec scripta sunt in caerulea zona, quae Nicolai librum cingit: haec petit a peritis rei oeconomiae Belgarum Rex; haec regi statim respondenda erant invitanti eique in regimine quoque rei oeconomiae et alte et palam quaerenti Regnum Dei et iustitiam eius, quo et «omnia adiificantur nobis».¹²

Quod est ut pateat aliquando vel per tamdiu incertas nummarias vias et passim tenebricas et saepe fraudulentas et, eheu, misere quoque cruentas, cunctis hominibus «bonae voluntatis» iustitiae tutum iter ad Civitatem pacis.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

⁹ Loc. cit., pag. 236.

¹⁰ IOAN., XVIII, 22.

¹¹ Loc. cit., pag. 352.

¹² MATTH., VI, 33.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

De infinitivo.

a) Ubi narratio fit concitatior, non raro, pro perfecto aut imperfecto, usurpatur praesens infinitivi, comitante nominativo.

EXEMPLA: Senex cicatrices adverso pectori ostentabat. Inde *ostentare* tergum, foedum recentibus vestigiis verberum (TIT. LIV.) — Hostes ex omnibus partibus *decurrere* lapidesque in vallum *coniicere*. Nostri fortiter *repugnare* (CAES.) — Uti mos gentis illius est, Iugurtha *equitare*, *iaculari*, cursu cum aequalibus *certare*, pleraque tempora in venando *agere*, leonem atque alias feras primus aut in primis *ferire*; plurimum *facere*, minimum ipse de se *loqui* (SALL.) — Media nox erat: subito spissae nubes *intendere* se caelo; tum mare paulatim *levari*; deinde, acriore vento *concitatum*, inter se navigia *collidere* (QUINT. CURT.) — Verres imperat magistratibus Segestanorum ut Diana simulacrum sibi dent; illi vero *dicere* sibi id nefas esse; iste tum *petere*, tum *minari* (CIC.) — Postquam res Romana prospera videbatur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitimi bello *tentare*; pauci ex amicis auxilio *esse*; nam ceteri, metu perculsi, a periculis aberant. At Romani, domi militiaeque intenti, *festinare*, *parare*; alius alium *hortari*; hostibus obviam *ire*; libertatem, patriam, parentesque armis *tegere* (SALL., Cat., 6) — Equites peditesque, repente signo dato, alii vulgum effusum oppido *caedere*; alii ad portas *festinare*; pars turres *capere*; ira atque praedae spes amplius quam lassitudo posse (SALL., Iug., 69) — Vocat ad coenam deinde Antiochus rex praetorem. Verres unumquodque vas in manus *sumere*, *laudare*, *mirari*. Rex *gaudere* praetori populi Romani satis iucundum et gratum illud esse convivium.

Posteaquam inde discessum est, *cogitare* iste nihil aliud, nisi quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatumque dimitteret (CIC., Verr., II, 4, 27) — Hic cruorem praeterfluentis aquae rore *diluere*, ille spongiis madidatis tumores *comprimere*, aliis fasciolis hiantes *vincere* plaga: ad istum modum saluti sua quisque consulebat (APUL., Metam., 8).

b) Infinitivus vices gerit nominis substantivi in nominativo et in accusativo.

EXEMPLA: *Ridiculus esse* non possum (TER.) — De civitate *decidere* quam de sententia maluit (CIC.) — *Faciles nos facere* debemus (SEN.) — Qui hoc *facere* proponet, volet, tentabit, ad deos iter faciet (SEN.) — Maria montesque *polliceri* coepit (SALL.) — Te iterum esse trans mare *credere* non possum (CIC.) — *Pecare* nemini licet (CIC.) — Ludo *uti* licet, sed sicut somno, quum seriis rebus satisfecerimus (CIC.) — Licet ea *commemorare* quae optimis verbis ab Epicuro de laudibus amicitiae dicta sunt. — De Dionysio fugit me ad te antea *scribere*. — Deus non solet *esse* auxilio iis qui se inconsulto in periculum mittunt. — Caesar quum primum pabuli copia *esse* inciperet, ad exercitum venit (CAES.) — *Mori cupis*; disce prius quid sit *vivere* (TER.) — Nunquam est utile *peccare*, quia semper est turpe (CIC., Off., III, 15) — Et *facere* et *pati* fortia romanum est (TIT. LIV., II, 12) — *Vestrum dare*; *vincere* nostrum est (Ov., Fast., IV, 889) — Homini necesse est *mori* (CIC., Fat., 9) — Quid interest inter perierum et mendacem? Qui *mentiri* solet, *peierare* consuevit (CIC., Rosc., 16) — Versus ego de rerum natura *pangere* conor (LUCR., I, 26). — Nescit vox missa *reverti* (HOR., A. P., 390) — Non potest ad similitudinem *pergi* rei quae neecdum est (MACROB., Sat., VII, 16) — Illum lauda et imitare, quem non piget *mori*, quum iuvat *vivere* (SENEC., Ep. 54) — Nostro more, male rem gerentibus patri-

bus, bonis interdici solet (CIC., *Sen.*, 7) — Si vos pudet imperatori roganti vim adhibere, ferrum mihi date (IUST., XIV, 4) — Ex malis eligere oportet minima (CIC.) — Ferre laborem consuetudo docet (CIC.) — Vincere scis, Hannibal, victoria uti nec sis (TIT. LIV.) — Miltiades plerasque insulas quae barbaros adiuvabant ad officium redire coegit (CORN. NEP.)

c) Saepe propositio infinita constructio nem « personalem », ut aiunt, admittit, aut etiam requirit.

EXEMPLA: Admiratione efficiuntur ii qui anteire ceteris virtute putantur (CIC., *Off.*, II, 10) — Lupus arguebat vulpem furti crimine. *Dixisse fertur simius sententiam: Tu, lupe, non videris perdidisse quod petis; te, vulpes, credo surripuisse quod pulchre negas* (PHOED., I, 10) — *Decemviri libros Sibyllinos adire atque inspicere iussi sunt* (TIT. LIV., XXII, 36) — *Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur* (TIT. LIV.) — Ex suo regno sic *Mithridates* profugit, ut ex eodem Ponto *Medea* illa quondam *profugisse dicitur* (CIC.) — *Milo accusare eum moderate a quo ipse nefarie accusatur, non est situs* (CIC., *Sext.*, 44) — Vox diversa sonat populorum: est vox tamen una quum verus patriae *diceris pater* (MART., *Spect.*, III, 11) — Regnante Tarquinio superbo in Italiam *Pythagoras venisse reperitur* (CIC.) — *Peregrina res traditur eo anno facta* (TIT. LIV.) — *Hannibal dicebatur aequo animo sub legibus vivere non posse, assuetus imperio et immoderata licentia militari* (IUST.) — *Luna solis lumine collustrari putatur* (CIC.) — *Nolani muros portasque adire vetiti sunt* (TIT. LIV., XXIII, 16) — *Existimatur Laelius Catilinae nimium familiaris fuisse* (CIC., *Coel.*, 4) — *Xanthippe, Socratis uxor, morosa admodum fuisse fertur et iurgiosa* (AUL. GELL.) — *Tyndaridae fratres non modo adiutores in praelio victoriae populi Romani, sed etiam nuntii fuisse perhibentur* (CIC., *Tusc.*, I, 12) — *Barbara*

narratur venisse venefica tecum (OV., *Her.*, VI, 19) — *Bibulus nondum audiebatur esse in Syria* (CIC., *Att.*, V, 18) — *Avis quaedam quae nominatur platlea, scribitur conchis se solere complere* (CIC., *Nat. deor.*, II, 49).

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

EPSTOLARE SOCIORUM COMMERCIO

ANDREAS AVENARIUS IOSEPHO FORNARIO doctori s. d.

Haud scio an identidem meum tuae menti post mensem martium nomen subierit, et tu tacite tecum: « Cur illic nam siletur? » quae siveris. — Occupatus eram. Quo die ad te proximas litteras dedi, pater meus, lignarius faber, postremum opus fecit. Nam postridie eius diei sic aegrotare coepit, ut raperetur ad extrema. Mortuus est a. d. x kal. aprilis annos natus paulo minus septuaginta quinque, et quem ego ipse sacro inunxeram oleo, ipse in Coena Domini sacro Ecclesiae ritu tradidi sepulcro. Intelliges me et huius acerbitate casus et paschali tempore multum hoc illic cursatione distentum fuisse.

Sed nunc, ne tibi diutius sim in quaestione, ad tuas litteras venio, quibus mense martio februariis meis respondisti. De « postali controversia » et citra Alpes et ultra satis nunc esse puto explicatum. Tu mihi extorsisti, ut te vivo, atque — si tu ante me — mortuo abstineam a « posta », rarissimeque utar adiectivis, quae sunt « postalis » et « postarius », quae mihi sane tam ad usum facilia esse et sunt visa et videntur, ut in his paulo tenaciorem me esse oportere arbitrarer. Sed assentior tibi cursualem sarcinam, cursualem cartulam non minus suaviter ferire aures.

Sed hoc loco te velim monitum « illa transposita in trahas vecta » neminem mortalium intellegere posse. Nam belli typothetae tui, vel eius qui dictabat typothetae, errore factum est, ut tota tracus mei linea, et in qua pondus et acumen sententiae esset, omitteretur. Si vis, paginam inspice 25, et quae contra dextram tuam eius paginae columna est. Sic lege: « et ideo mercem postalem (quam abs te doctus liberter etiam cursualem nominem) transpositam in trahas vectam esse in vicis ». Quam hoc tibi gratum erit videre iam tum me, hoc est kal. febr., semicoctum — dicturus eram semiconversum — fuisse!

Gratissimum fecisti, quod de *essedo de que bracis* docuisti, de *phlasco* et de *tunna*.

In dactylographio quid esset « minoris Ericae genus » parum te ais apprehendisse. Machinarum scriptoriarum varia sunt genera, suisque quisque fabricator, ut fit, gloriatur commoditatibus. Vidi ex machinis lucentia aureis litteris nomina, velut: *Meredes, Torpedo, Continental, Remington, Adler, Triumph*. In mea machina, quam adventante iam senectute ante annos sex vel septem nisu et labore comparavi, quam tu ipse tum gratulatus mihi es, scriptum est: ERICA. Nunc autem saltem duo sunt genera eius notae machinarum: « Erica maior », « Erica minor ». Intelligis nunc me narrantem stare in mensa mea dactylographium « minoris Ericae genus ? »

De claviculis rectissime me admones. Sunt enim vectum illorum litteratae extremitates proprie *malleoli* dicendi. Tum ego scribens illas, quas nos *Tasten*, quas Galli *touches* nominant, quae latent in clavichordio, claviculas cogitabam.

De Graecorum ergo nominum accentu nihil certi constitui posse amico scripsi, qui id me proponere iusserat. Res in medio relinquitur.

Ne hodie longior sim, unum est quod te interrogem, quod abs te probari velim. Novi ego domum refertam pueris, quorum

non pauci « scharlatina » laborant. Qui, ne alios contagione inficiant, quod consentaneum est, sequestrati includuntur, et quidquid eorum tetigit manus, vaporibus vel male olenti lysoleo malis bacillis purgatur. Eam igitur purgationem nos Gallice nominamus *désinfection*. Infectorum utensilia *exinfestantur* et actio *exinfestandi* his diebus *exinfestatio* mihi nata est. Tu hanc accipias per occasionem certiore me velim facias.

Et bonam concipe spem satis mature me novas ad te daturum esse litteras. Vale.

Ex urbe Tirschenreuth, Superioris Palatinatus, VIII kal. Quint.

Ad te, Avenari rerum dulcissime, rescribens facere non possum quin moeren tes animi sensus imprimis iterum tibi significem ob casum desideratissimi patris tui. Quamquam menti succurrat eum, qui filium suum Christi servitio devovit, caeleste praemium statim esse assequutum, eoque amplissime frui.

Assentior tibi iam de « postali controversia » satis superque fuisse explicatum, ita ut prata ulterius bibere non debeant; quod vero ad vocabulorum « mercem » et subsequentium suppressionem attinet, per quam non intelligibilia illa verba in postremis tuis litteris facta sunt, licet post machinas monotypicas atque lineotypicas eiusmodi necopinati adventus non raro intercidere soleant, imo fiat ut, emendato errori alias in nova cudenda typorum linea succurrat, hoc in casu culpa haud typothae tribuenda, sed... dactylographiae Ericae tuae — (ecquis, sine interpretatione quam Hodie attulisti, suspicatus fuerit de machinae titulo agi?) — in cuius folio frustra inquirebantur.

Sed ad modum veniamus quo *désinfection* illud Gallicum latine exprimi possit. Aperte fateor *exinfestationem* tuam minime accipi licere: si enim verbum « inficere »

pro « contagione labefacere », atque derivata « infectus » et « infectio » et « infectivus » in latina lingua passim inveniuntur, « infectare, infectatus, infectatio » haud quaquam. Nec causa est quidem cur novas voces introducamus: dicere enim non solum possumus « depellere contagionem, purgare (indeque purgatio, purgationes, medicamenta contagionis) et generalia similia; sed proprium verbum ad rem habemus, quod est « suffire ». Quid enim valent Plinianum illud (XXV, 5, 21): « Melampodio — (hellebore est genus) — domus suffiunt purgantque »? Et Vergilii: « Suffire thymo »? Et Columellae: « Cella vinaria bonis odoribus suffienda »? Et Lucretii: « Suffire se a taetris odoribus »? Et Propertii: « Suffire locum »? Accipe hinc ergo: suffimen, suffimentum, suffitio (quod Festus explicat et purgationis esse genus, praeter actum suffiendi), suffitus (us), et.. vade securus in pace.

Vale nostri memor.

I. F.

P. S. — Quas nuperrime alias dedisti litteras, iis nimia commentatio afferenda esset, ut intellectu faciles lectoribus nostris evaderent: adde de nomine oppidi unice disputari, quod per paucorum hominum, vel Germanicam linguam callentium, intersit; non itaque esse puto in nostris paginis edendas. Tibi, ut mavis, reddam.

DE VETERUM BALNEIS

Populi, qui prisca aetate floruerunt, iam inde a remotissimis historiae suae temporibus in heroum vita narrationes plures inseruere, unde aquae pretium ostendetur; ingeniosisque fictionibus balneorum utilitatem exprimentes, ponto, flumini cuique, singulisque paene fontibus suum nomen tribuerunt. Quin etiam teste Ibyco,

Herculem effinxerunt calidi lavacri inventorem, quibus diuturno labore defessus uteatur, sive Vulcano, sive Minerva id remedium ei suadente.

Homerus saepenumero de balneis loquitur tamquam de praecipuo hospitii officio; Hippocrates, mirus ille vir, cuius opera, argutis sapientibusque animadversionibus et iudiciis redundantia, etiamnunc admiramus, balnea innumeris morbis medere optime monuit; Plinius denique metallicaem aquae venas non immerito, et quasi nostra tempora praevidens, « urbem condere » scripsit.

Scimus Lacedaemone civibus omnibus quotidianam in Eurota lotionem lege iussam. Graecia capta etiam balneorum usu ferum victorem cepit, et ipsa aquarum publica aedificia agresti Latio intulit; quae « balineae » appellata sunt, atque magnitudine et splendore graeca superarunt.

Sic Antonius Caracalla thermas suo insignes nomine struxit, quarum cellam solearem, id est in qua forent balneo destinata solia, negarunt architectonicae consulti, ulla posse exprimi imitatione. Nam ex aere vel cupro cancelli fuere superpositi, quibus concameratio tota concrederetur. Atque Diocletianus pariter Romae, Maximianus Carthagine ac Mediolani thermas pariter eas instituerunt, quarum vestigia, ad nostros usque dies admiranda, aedificiorum et vastitatem et magnificentiam apprime indigitant.

Ex his, et maxime a balneis Pompeiis detectis, licet huiusmodi aedificiorum rationes atque dispositionem deducere.

Plures erant aditus, quorum alii iis qui ad aquas venirent, alii famulis; unum denique mulieribus, quae balineas suas habebant a virorum omnino separatas.

Ostium in atrium immittebat, amplum satis columnisque decorum, et subselliis plerumque iuxta latera munitum, in com-

modum sive servorum domini redditum expectantium, sive generatim civium, quibus aliqua de causa illic esset commorandum.

Prope cubiculum erat, cuius non satis liquet usus, utrum procoetonis, an balneorum moderatoris.

Cryptoporticu ad « apodyterium » ducebatur, conclave scilicet, ubi vestes deponebantur. Inde ad « frigidarium » accessus, cuius in medio « baptismus », hoc est aquae frigidae piscina, patebat. Sequebatur « tepidarium »; quo in conclavi aer tum per candentes carbones, tum per vapores aptis cuniculis immissos, ad certum caloris gradus sustentabatur. Tepidarii usus duplex: alter ad impediendum, ne transitus a thermis ad caelum nocens corpori fieret; alter ut corpus post lotionem per servum, cui « alipta » nomen, et destringeretur et unguentis oblineretur.

Hinc ad « calidarium » aditus, duobus partis distinctum: « alveus » et « laconicum »; altera constabat fossa cavata ex lapide, vel etiam structili, suos gradus intus habente ad descendendum, et pulvinum ad innitendum; altera — ita appellata quoniam a Laconicorum moribus invecta — locus erat cameratus, in quo sicco calore sudor provocaretur. Accenso enim igne sub ipso pavimento, quod eam ob rem vacuum instruebatur et suspensum — « hypocaustum » dicebatur — flamma et calor per tubulos in ipsum laconicum ascendebat et ad summam camerae curvaturam; in cuius medio foramen aperiebatur, clypeo aeneo catena apta obstructum; quo clypeo remisso, patebat calori aditus ut ad superiora consenderet aestumque laconici minueret; reducto, omnis calor in laconico inclusus vim suam augebat, atque hac ratione temperatura sudationis perficiebatur, qua cruditates digererentur ac solverentur. In laconici denique centro vas erat grande latique oris — « labrum » — aqua repletum, qua lutor sese

aspergebat, effusum sudorem a se abradens.

Simili prope modo balnea privata disposita erant, quorum nomen ut a balineis, hoc est « publicis balneis » (« thermae » etiam vulgo nuncupatae) distingueretur, singularem numerum continenter retinuit. Quamquam « balneum » de nobilibus ac divitibus aedificiis proprie dicebatur: « latrina » de dimissoribus, constans plerumque cubiculo cum supellectili ad corpus abluendum idonea.

Romano imperio in ruinam collapso, in ruinam quoque sumptuosaे thermarum aedes ceciderunt.

Medio quod appellamus aevo, nedum balinea, ne balneum quidem in domibus, ipsisque in principum castellis, nobis offeruntur. Ut ad novam vitam Romanorum balneorum morem revocatum inveniamus, ad renatarum tum litterarum, tum artium aetatem veniendum est; quo tempore iterum cubicula ad lotiones et balnea comptissime marmore atque picturis decorari coepita sunt, quemadmodum Romae in domo Cardinalis Bibbiena apud Vaticanum, et Clementis VII Pont. Max. in castro S. Angeli magna cum admiratione videre adhuc licet.

X.

MEDICAE NOTAE

De crisi et diebus criticis.

Omnes morbi, sive ad salutem fuerint, sive ad mortem, sex modis terminantur. Vel enim cito sua tempora percurrunt et vel subito iugulant aegrum; aut subito solvantur et ope naturae et remediorum abiguntur. Secundo mutantur vel in melius, vel etiam in peius. Vel pedentim fit so-

lutio ad salutem, qui terminationis modus «solutio» simpliciter vocatur. Vel lento gradu tendunt ad mortem; quod mortis genus «marasmus», vel mors lenta appellatur.

Subiectum criseos sunt febres acutae: hae enim subito vel ad salutem, vel ad mortem terminantur, atque si sui sint iuris, definitis temporibus moveri solent. Aliquod tamen hic notare licet discriminem; quod videlicet hoc nostro tempore tumultuariae eiusmodi perturbationes et anicipitis eventus mutationes rarius apud nos contingant, tum ob climatis diversitatem, tum quod ipsis febribus laxativis benignioribus et clysteribus pabulo mature subtrahamus et fermenta peregrina praecipitantibus et absorbentibus subigamus, quum veteres haec omnia tempori commiserint, cuius sive iniuria sive beneficio aegri subito extinguebantur aut sanabantur.

Describitur autem *Crisis*, quod sit subita aliqua vel ad mortem, vel ad salutem cum insigni corporis perturbatione mutatio, ab omnis motus et fermentationis in fluidis auctore instituta.

Ut in difficillima hac doctrina, quae tot retro annis Medicorum fatigavit ingenia, firmo incedamus gressu, nec a veritatis semita aberremus, observari velim corpus nostrum ex meris canaliculis, suis liquoribus refertis, componi, ita ut ubi arteriae finiantur, ibi appositae sint glandulae, sive alias generis vasculosus contestus, prout in cerebro, naribus, palato, ventriculo, intestinis, hepate et renibus; immo in totius corporis ambitu manifeste ostendi potest, quo ipso palam fit, quod in mistionis sanguinis turbatione humores heterogenei praevia insigni illa lucta, inter consuetum et insuetum aetherem inita, ad confinia illa et glandulas facile propelli et protrudi possint, quae irritatae et vellicatae eos qua data via emittunt, ut insolita aliqua in universa oeconomia animali sit ad salutem mutatio, si nempe cetera fuerint paria. Sin-

autem consuetus aether in opere suo deficit, atque fermentescibiles illos humores foras protrudere nesciat, motus ille sanguinis progressivus tandem sufflaminatur, et subita aliqua ad mortem fit mutatio.

Soccumbit autem consuetus aether quando insuetus contraria sub determinatione fluida permeat earundemque particularum ordinem plane invertit, ut ipsa praeternaturalia naturalibus commissa maneant, in quo statu sanguinem ceu mustum turbidum aut vinum fulmine tactum, aut lac tonitruali sub tempestate acescens corruptum, concipimus. Accedit, quod ob secessionem istam particularum contumacissimae in vasculo contestu et glandulosis partibus ortae sint obstructiones, quae illam sanguinis a scoriis fermentescibilibus depurationem remorantur, quo ipso naturalis fermentatio obruitur, et in devastata oeconomia animali insueto aetheri imperii fasces traduntur.

Caussa itaque efficiens et proxima criseos salutaris est natura sive aether consuetus, quo motum et figuram particularum sanguinem constituentium una cum solidarum partium fabrica et testura referimus. Solus enim aether consuetus et a prima infantia sanguinem permeare solitus, est morborum medicatrix cui merito primas hoc in negocio tribuimus. Solus hic est, qui crises molitur, dum humores coquit, secernit et excernit. Hic est, qui cum insolito, per contagium, aut alia impropagationata corpuscula, advecto, pugnam init, quam in butyro antimonii ex spiritus nitri affusione, aut in oleo tartari a spiritus vitrioli instillatione observamus, atque de regimine contendit, id quod cum magna quadam totius corporis perturbatione fieri solet. Quod si peregrinus aether consuetum expellat, omnia fluida aliam induunt faciem, natura succumbit; hoc est naturalis motus, figura, magnitudo et situs particularum destruuntur, sicque ex corpore vivente fit cadaver.

Quibus evincitur, nos per «naturam», obscurum illum et famosum terminum, nec mentem, nec principium quoddam internum motus, nec imaginarium illud vinculum mentis cum corpore, intelligere, quum neutrum ex his defungi possit officio.

WALDSCHMIDT.

ANNALES

Hispanicae res.

Die IX mens. iulii, uti nunciavimus, coetus convenit «de non interventu» in Hispanicis internis negotiis. Italorum legatus Grandi fuse de Italica mente in re disseruit, fidem confirmans nullius Italicae cupidinis circa Hispaniae territorium; quumque consilia, Russiae praesertim Galliaeque repugnantia, de propositis capiendis discrepant, ex Bataviae rogatione statutum est, ut Anglicum gubernium alicuius compromissi solutionem investigaret. Quod quidem Angli ad novam coetus sessionem, insequenti die XVI congregatam, retulerunt, praecipuis condicionibus innixum, nationes singulas medio sese per leges gerendi; inspectionis pericienda belligerantium iuribus utrique dimicanti parti recognitis; vigilantium navium receptus, speculatoribus in Hispaniae portibus substitutis; auctoritatis augendae per participationem nationum quoque extra Europam pactionibus de non interventu.

Haec probanda omnibus imprimis visa sunt; brevi vero ex Russia, quam nunc etiam Gallia sequuta est, nata iterum discordia: de Italorum Germanorumque voluntariorum militum ab Hispanica terra dismissione primum esse statuendum; qua habita, de ceteris posse disceptari, nunquam tamen belligerantium iura esse «Nationalistis» recognoscenda, quippe qui sint legitimo nationis gubernio rebelles; quasi

aliquis ignoret a Russorum militibus, et Gallorum etiam a Russia conscriptorum, Russicisque omnis generis tormentis Hispanicum civile bellum produci in favorem gubernii, quod per omnem vim summa rerum potitum est.

Infecta igitur iterum res mansit, mansaque Russicis, et etiam Gallis, facultas nova arma novosque belli duces in Hispaniam mittendi contra «Nationalistas», qui tamen, lente quamvis, ulterius victores procedunt.

Novum inter Iaponiam et Sinas discrimin.

Ad meridiem Pekini urbis, Iaponii armamenta ad exercitationem componebant. Sinenses timore capti ne armis urbs ab iis peteretur, in Iaponios tela coniecerunt, qui identidem responderunt. Natum inde discriminem, quod brevi compositum videbatur, quum Iaponii ius sibi vindicare copias suas in septentrionales Sinarum regiones deducendi, Sinensesque accusantes quod hostiles voces in ipsos spargerent, satisfactionem de iniuriis expostulare. Obsistunt Sinenses; Iaponii minis instant, quas profecto ad effectum adducent. Facile itaque coniectui est, novum illic bellum heu! exarsurum, vastum quidem et atrox, cuius fortunam haud pronum est praevidere.

Palaestina quaestio.

Palaestina quaestio his diebus in scaenam rediit. Coetus enim ille ab Anglo gubernio constitutus ad dirimenda dissidia inter Arabes Hebreosque, studia sua conclusit affirmans impossibilem evadere pacificam inter duas gentes consuetudinem vitae; necesse itaque esse Palaestinum territorium inter ipsas dividere. Auctor inde fuit ut sui iuris regnum pro utroque po-